

proximus. Tradunt medici venam quamdam medio in corde reperiri, quæ ad brachium extenditur. Ita Joannes Valver. quod lib. VI. tal. V. sinistrum ramum grandis arteriæ e corde a sinistrum brachium produci asseverat. Quid hic docet natura, nisi corde simul et brachio, id est, affectu et opere diligendos esse proximos? Ita sane sponsus ait sponsæ, Cant. VIII. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, g. d. dilige me meaque membra, corde et opere. Sic egere certe post adventum Spiritus sancti primi Christiani, quorum: *Cor erat unum et anima una*, ut diximus. Sed an solo corde se mutuo diligebant? Nequaquam, sed: *Habebant omnia communia. Possessiones et substantiam vendebant et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erant*, Act. II. Deus bone, quid audimus? Vendebant prædia et fundos, necnon substantias seu mobilia, pecora et suppellectilia. Et cur? Quia ad cœlestia anhelantes, terrena omnia nihili faciebant. Audiebant etiam ab apostolis Judæos brevi puniendos; et e terra sua ejiciendos. Videbant longe plures pauperes evangelium amplecti et quia nullo habito conditionis respectu omnes se ut fratres amabant, inopiam pauperum et suis facultatibus ditiores sublevabant, et proprio ori detrahebant, quid egenti proximo darent. Eiusdem communionis speciem exhibuerunt eremicolæ sub Macario abb. cui cum aliquando uva pro munere delata esset, ille eam ad alium fratrem velut infirmiore detulit: hic eam rursum alteri fratri prope habitanti, et hic rursum alteri pro munere attulit, et sic uva per omnes cellulas hinc inde dispersas, nescientibus quis eam primo dedisset, delata, iterum domum rediit ad Macarium, cui primo oblata fuerat: qui ex tanta fratrum charitate et continentia non parum consolationis accepit, Pallad. caput. Ruffin. I. III. Ac licet postea aucto Christianorum numero refrigerit illa magna charitas, remansit tamen in religiosis, quos imitantur multi sæculares.

V. Fantus est Personarum divinarum inter se amor, ut una non tamen suum, quam alterius zelet ac defendat honorem. Pater de Filio mittendo in terram ait: *Qui verba ejus audire noluerit; ego ultor existam*, Deuteronomii XVIII. Filius Patris honorem zelans eiecit mercatores e templo dicens: *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*, Joannis II. zelat honorem Spiritus sancti, cum ait: *Quicumque dixerit verbum contra Filium remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei*, Matthæi XII. Spiritus arguit mundum de peccato, quia non credunt in Christum, Joannis XVI. imitabimur in hoc Sanctissimam Trinitatem, si

proprias injurias et contemptus patienter feramus, Dei vero et proximorum injurias acriter sentiamus, et, si licet, castigemus. Ita fecit Moyses vir mitissimus (Numerorum XII.) in propriis injuriis, contemptu et murmuratione: acerrimus contra vindex injuriarum Dei et proximorum. Zelo enim Dei incensus occidit multa milia idololatrarum, Exodi XXXII. zelo proximi occidit Ægyptium, qui afflixerat quendam Hebræum, Exodi II. Et quid micum? apud Ægyptios enim qui proximum a latronibus vel aliis cæsum, aut injuriis affectum, si poterat, non jussisset, mortis reus erat. Si non poterat, injuriam accusare debebat, aut plagis et triduana inedia puniebatur, teste Diod. Siculo, libro II. rerum antiquarum, capite II. Pulchre Amphilo-chius Iconii in Lycaonia episcopus Theodosium imperatorem docuit, Dei potius quam proprium honorem zelare. Cum enim petisset ut Arianos urbibus pelleret, et imperator difficultates objiceret; venit in palatium et imperatorem salutavit, filium ejus Arcadium, declaratum nuper Cæsarem, non salutavit. Cum indigne hoc ferret imperator: *Et cur tu*, inquit, *filii tui honorem adeo quæris, Filii autem Dei, qui ab Arianis blasphematur, honorem negligis?* Emendatus hoc verbo et convinctus imperator, mox Arianos ejeci aedavit, Theodoretus, libro V. cap. XVI. Cedra-

CONCIO IV

SUMMA ET UNIVERSALIS CHRISTI POTESTAS QUID NOBIS REQUIRAT.

I. Requirit a nobis fidem illimitatam. — II. Maxima spem et confidentiam in ipsum. — III. Summum honorem et reverentiam. — IV. Maximum timorem. — V. Omnem subjectionem et obedientiam.

THEMA.

Data est mihi omnis potestas in celo et in terra, Matth. XXVIII.

Vetus consuetudo fuit, inquit Haymo episcopus Halberstadiensis, in capite II. Matthæi, *ut nullus intraret ad regem sine muneribus. Nemo reges salutare poterat sine munere*. Et hoc sive in subjectionis et obedientiæ, sive in pacis et amicitiae, sive in lætitiæ et gratulationis significationem Fuit autem hic mos tam apud gentiles quam apud Hebræos. De Persis testatur Ælius Rhodiginus, libro XIII. capite XVI. regibus cum lustrarent suas provincias, dona offerenda fuisse: de Parthis scribit Seneca, epistola XVII. *Nemo reges salutare poterat sine munere*: apud Japones singulis annis dynastæ adeunt imperatorem instructi variis donis: Romani imperatores calendis januarii sedentes præ foribus palatii expectabant et capiebant munera, teste Suet-

nio, in Caligula: de magis ab oriente ad Christi incunabula munera ferentibus testem habemus Matthæum: denique, Deus quoque optimus maximus legem dedit Hebræis ad templum vel tabernaculum accedentibus: *Non apparebit in conspectu meo vacuus*, Exodi XXIII. Adhuc et inter christianos principes viget hæc consuetudo. Adeo igitur invaluit hæc munerum oblatio, ut pro injuria haberetur, si quis regi præsertim nuper inaugurato munus non dedisset, ut patet ex I. Regum X. ubi appellantur filii Belial, hoc est, exleges et adulterini, qui Sauli proclamato regi munera non obtulerant. Fuit Saulis regia inauguratio luculentus typus Christi Domini, ad regiam et summam in celo et terra potestatem exaltati. Ut enim Saul prius a Samuele in regem fuit inunctus, postea nihilominus per sortes electus: ita Christus Dominus inchoatè quidem jam ab incarnatione sua, complete vero post resurrectionem suam Rex cœli et terræ constitutus, et in hodierno evangelio supra montem in præsentia plusquam 500. fratrum promulgatus est. Quare sicut Sauli, cum rex inauguraretur, qui boni et morigeri fuerunt, munera attulerunt: ita omnino decet, ut nos Christiani regi nostro immortalis sua quoque qualia ipsum decet, munera offeramus. Quænam vero ea sint, quæ summa ejus potestas requirit, nunc exponemus.

I. Requirit a nobis fidem universalem et illimitatam ad credendum omnia revelata quantumcumque videantur intellectui nostro difficilia, qualis est presentia Christi Domini in sacra eucharistia, resurrectio mortuorum, incarnatio Verbi Dei, et similia, quæ vel traditio divina, vel Scriptura s. proponit. Si enim Christo Domino, etiam qua homini, data est omnis potestas in celo et in terra, ergo nihil non imperare, nihil non efficere poterit sive in celo sive in terra: poterit igitur mutare panem et vinum in corpus et sanguinem suum, et quidem æque facile atque nuptiis Canæ, vertit aquam in vinum, unica voce *haurite*, et cum verbo *fiat*, creavit totum mundum: *Quid enim omnipotenti Deo difficile*, ait Sanctus Cyrillus Alexandrinus, in Joan. cap. II. *Aut quomodo qui a nihilo ad esse res omnes provocat non multo facilius unam ad aliud permutabit atque traducet?* Hinc cum Joannes, capite XIII. dixisset: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*: paulo post accepit in ultima illa cœna panem in manus et dixit: *Accipite, hoc est corpus meum*, etc. Matth. XXVI. Part facilitate educet mortuos a sepulcris, qui in ejus rei prælium suscitavit Lazarum quatrinduo sepultum, ac si e somno dormientem excitaret. Propterea enim dicebat: *Vade ut a somno excitem eum*, Joan. XI. quia ut ait S. Augustinus, trar-

XL. in Joan. *Lazarus Domino dormiebat; hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant. Nam Dominus tanta cum facilitate excitabat de sepulcro, quanta tu excitas dormientem de lecto. Non majori labore defendere Ecclesiam et potest, et defendet, deprimetque ejus hostes, qui opprimere eam volunt: quemadmodum nullo labore, solo Dei digito, hoc est, unico imperio eiecit dæmones numerosissimos et potentissimos e corporibus, Luc. XI. et alibi. Quidvis igitur ex quovis et per quodvis facere potest; quomodo luto oculis imposito, eos illuminavit, Joann. IX. et alibi expuendo in oculos cæci, Marci VIII. cum luto et sputo potius cæcari, quam illustrari soleat oculi. Denique: *Domini sunt cardines terræ*, inquit illa Anna sancta, *et posuit super eos orbem*, I. Regum II. d. b. ea facilitate mundum gubernat et vertit, ut res humanæ susque deque ferantur, et varias subeant vicissitudines, qua gyrat orbem cœlorum in suis polis et cardinibus, veluti rotam unam. Facessant igitur infideles, hæretici et increduli, qui potentiam Christi illimitatam limitibus constringere et suo metiri intellectu volunt, quo modo Indi illi stupidi aureum modium, similem illi, quo frumentum metiuntur, demergunt in mare, existimantes eo modio modum se aquis ponere, ne inundent terras: quasi vastissimum et potentissimum elementum parvo modio constricturi essent, apud Philostratum. Nihil plus sapiunt, qui Christi omnipotentiam includere terminis laborant: *Forsitan Dei vestigia comprehendes?* ait Sophar, Job. XI. *Et usque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior celo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari.**

II. Summam spem et confidentiam in ipsum. Si enim omnem potestatem accepit in celo et in terra, ergo utrobique potest nos juvare et beare. Quantacumque igitur tentatio vel calamitas nos invaserit, memores simus Domini nostri, cui data sit omnis potestas; quo modo et tres illi adolescentes jam injiciendi in fornacem ardentem dixerunt Nabuchodonosori: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus vestris, o rex liberare*. Quod et factum, misso de celo angelo, qui: *Excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis neque constrictavit*, Danielis III. Quod idem in tentationibus nobis a Christo expectandum esse, si firmam in eo spem habuerimus, scribit in eum locum Sanctus Hieronymus: *Anima, inquit, perturbationibus oppressa, et variis molestiis occupata, cum hominum desperaverit auxilium et tota ad Dominum fuerit mente*

conversa, descendit ad eam angelus Domini, scilicet sermo divinus, et excutit flammæ æstuantis ardores: ut nequaquam ignita jacula inimici cordis nostri arcana penetrent, nec illius fornace claudamur. Revelatum id quoque sanctæ virgini Gertrudi scribit Blossius, in monili spirit. capite XI. his verbis: *Secura illa confidentia, quam quis erga me habet credens me revera posse, scire et velle sibi in omnibus fideliter adesse, transvulnerat cor meum, tantamque vim facit pietati meæ, ut nullatenus possim hujusmodi abesse vel deesse.* Causam porro inferius addit: *Quia impossibile est, inquit, hominem non percipere quod sancte credidit et speravit. Itaque utile homini est, ut magna sperando a me mihi bene credat.* Qui enim tam cordate in Dominum confidit, magna eum gloria afficit, agnoscendo eum non modo omni potestate pollentem, sed etiam omni benevolentia et clementia præditum. At propterea apostolus commendat Abraham confidentiam, ad Romanos IV. *In promissione Dei non hæsitavit diffidentia, inquit, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissime sciens, quia quæ promisit, potens est et facere.* Quemadmodum vero honorant Deum et glorificant, qui cordate in eum sperant: sic vicissim inhonorant, qui languide, aut omnino spem abjiciunt. Qua de re arguit Deus Moysen et Aaron, quando jussi percutere petram ad fundendam aquam, diffidenter locuti sunt: *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Ait enim Dominus: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introduceris hos populos in terram, quam dabo eis, Numerorum XX.* Ubi sciendum non eos defecisse fide quasi Deus non posset aquam e petra dare, quod jam semel in Raphidim experti fuerant, Exod. XVII. sed spe et fiducia; quia non expectabant a Deo tantum beneficium populo tam rebelli et ingrato conferendum. Non dissimili modo honori Christi derogant, qui ejus ope nihil aut parum sperant; similesque sunt militibus, qui arundinem in manus ei dederunt et spinas imposuerunt pro corona, purpuram pro regio paludamento induerunt. Cava enim arundo inanis spei symbolum est, ut patet IV. Regum XIX. vers. XX. et Ezech. XXIX. Judicant igitur isti nane esse Christi imperium, fictum ejus regnum, potestatem nullam aut insufficientem. Pudenda res! Nonne audiemus dicentem: *Data est mihi omnis potestas?* Certe cum Josepho commisisset Pharaon gubernationem regni sui, et ad eum remisisset subditorum petitiones, dicens: *Ite ad Joseph, et quidquid ipse vobis dixerit, facite,* venerunt ad Josephum omnes fame et penuria oppressi, et subsidium invenerunt, Gen. XLI. Et nos Christiani tantam non habebimus fiduciam in Christum, cui audimus

collata a Patre omnipotentem potestatem in cælo et in terra?

III. Summum honorem, reverentiam et observantiam, velut omnium Domino et summæ majestati, respectu cujus nihil sumus, et cui omnia nostra accepta ferre debeamus. Josephum fecit: *Pharaon ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, et præpositum scirent esse universæ terræ Egypti: quia et appellavit salvatorem mundi, hoc est, Egypti, Gen. XLI. quia scilicet totam Egyptum suo consilio servaverat. At vero Christus quia totum mundum salvavit, super universum mundum constitutus est, adeoque etiam ab omnibus adorandus et colendus, verissime appellatur salvator mundi, et per antonomasiam dominus. Quare de ipso sub figura Cyri prædixit Deus, Isa. XLV. Subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, hoc est, flectam, ut eum venerentur supplices. Quod de Christo postea expresse edixit apostolus ad Philip. II. In nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum. Proinde decet imprimis omnes fideles, ut audito nomine Domini sui caput inclinent, et coram ipso genua flectant cum omni humilitate, juxta antiquissimum decretum Pp. et Concilii Lugdunensis, cap. Decet, de immunit. Eccles. lib. VI. Ut cum sublime illud nomen Jesu pronuntiat, omnes illud veneremur, saltem capita inclinando. Decet ut mane, quando surgunt, primo omnium ei sua obsequia deferant; et vespere quando cubitum eunt, sese commendent; ut testentur hac ratione omnes suas actiones ad ipsius beneplacitum et gloriam instituisse velle per ipsum in hunc mundum ingredi et egredi. Quam ob causam olim petiit primitias frugum et decimas, ut sciremus ipsi debere vitæ nostræ exordium et complementum. Decet ut totos nos, quanti quanti sumus, ipsius servitio devoveamus; siquidem ipsius sumus, ipsi vivimus et morimur: quomodo subditus agricola suo vivit et moritur domino. Non defuere inter gentes, qui pro salute imperatorum aut regum suorum armis depugnarunt, vel sua capita devoverunt, cum viderunt ipsos de vita periclitari (uti pro vira Caligulæ ægrotantis apud Sueton.) existimantes mortem illorum sua redimi morte posse. Quod si hoc illi pro his, a quibus vitam minime acceperunt, quid non subeundum pro eo, cui vitam et omnia nostra debemus? Sane fratres Josephi, quando defuncto patre viderunt se totos in ejus potestate et dominio constitutos, ab ipso uno dependere, supplices ad eum venire; et: *Proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus, Genesis L. si hoc fratres fratri et jure quidem exhibuerunt, velut ad dignita-**

tem regiæ proximam exaltato: quid non debeant servi Christi Domino suo ad supremam majestatem et universalem in omnes creaturas potestatem a Deo Patre sublimato? Decet ad extremum de sua etiam substantia honorare Deum, ut monet Sapiens, Proverb. III. *Honora Dominum de tua substantia;* id quod de pauperibus intelligit venerabilis Beda cum aliis. Optimus est hic modus conciliandi sibi Deum, fovendo eum in pauperibus. Qui magistratum, ut causa ipsorum faveat, sibi devincere volunt, munera dant conjugi aut filiis illius. Hoc unguentum est, quo inungunt causæ suæ currum, ut expedite pergat. Qui ergo apud Deum conciliari sibi gratiam desiderat, ungat cum Magdalena pedes Christi, qui sunt pauperes.

IV. Maximum timorem: *Quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum, inquit S. Petrus, Actorum X. versu XLII. et quidem summa cum potestate, ab omnibus aliis iudiciis libera et absoluta; ut non detur ab eo ulla appellatio, cum nullus eo superior sit. Quis non metuet eum, in cujus manu sitam novit omnem fortunam suam, vitam et salutem, necnon perditionem æternam? Hic enim exclamat Jeremias, cap. X. dicens: Non est similis tui Domine: magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? Tuum est enim decus, Chald. tuum est enim regnum. Caium Caligulam imp. timebant etiam amicissimi et potentissimi, quia subinde ingerebat illis summam potestatem suam, quam in eos haberet. Lautiore aliquando convivio affusus subito in cachinnos ruit; tum consulibus, qui prope assidebant, quidnam rideret quærentibus: Quid, inquit, nisi uno meo nutu jugulari utrumque vestrum statim possem? Idem: Quoties uxoris aut amiculæ collum exoscularetur, addebat: Tam bona cervicæ simul ac jussero, demetur, Sueton. in Calig. Improbe quidem et tyrannice hæc ille; quia in vitam innocentium, quam nemini dederat, nihil juris habuit. At vero Dominus noster, cum sit absolutus vitæ et mortis Dominus, a quo vitam et omnia acceperimus, in manu sua omnes, continet, et vitam quandocumque vult, jure auferre potest, aliasque infligere pœnas pro nutu et arbitrio suo, uti fatetur Job, cap. IX. † XVII. In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Nec solum occidere corpus, sed et animam potest mittere in gehennam. Quis non metuat talem Dominum? Hinc etiam viri justi sibi timuerunt. Ezechias rex bonus et sanctus erat, et tamen audita mortis sententia sibi denuntiata: *Convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum, et flevit fletu magno, IV. Reg. XX. Quem locum expendens D. Hierony-**

mus, l. II. contra Pelagian. *Certe, inquit, justus erat Ezechias et corde perfecto. Iturus erat ad Dominum, plorare non debuit. Quæris rationem fletuum? Si cogitaveris hominem, non miraberis causas doloris. Nullus enim intrepidus vadit ad iudicium Domini, habens conscientiam peccatorum.* Quis ergo hunc tantum Dominum offendere non timebit, etiam levissime? Sane Ananias et Sapphira, quando audierunt a Patre se non peccasse in hominem, sed in ipsum Deum, illico mortui considerunt, Actorum V. præ terrore et mœrore, existimat Origenes, tract. VIII. in Matth. « Puto, inquit, quoniam audivit Ananias hæc verba, ideo cadens expiravit, quoniam non sustinuit arguitionem Petri, sed cruciatus in se adeo est punitus, ut etiam expræret, verbis videlicet Petri catechizantibus animam ejus. Nec Petrum hic existimare debemus interfecisse Ananiam, sed illum non sustinuisse acritudinem verborum Petri, etc. » Noverat is utique, quod paulo ante ad principes populi dixerat Petrus, cap. IV. *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus; qui factus est in caput anguli: et non est in alio aliquo salus.* Si per Christum solum salus obtinenda est, quis in eum peccare audeat? Aut si forte peccavit, præ timore non corruat? Simili terrore percussus fuit quidam vir Valentiae, nomine Gayna qui cupiens sequi Sanctum Vincentium Ferrerium, ordinis S. Dominici, cum jussus sua distribuere in pauperes, mediam partem sibi clam retinisset, de hoc a viro sancto, divinitus etiam id edocto, increpitus, præ terrore coram multis humi prostratus cum multis lacrymis culpam passus est, et veniam impetravit, ut in ejus vita, 5. april. apud. Sur Quid erit a Christo summo iudice deprehendi in peccato? Quid increpari et argui?

V. Omnem subjectionem obedientiam, quia omne in nos jus et imperium habet. Non adeo periculosum est mortalis alicujus domini imperia detrectare; quia licet ab uno hero migrare ad alterum. At non licet jugum et servitutem Christi excutere, quia nec ipsum effugere. Gravi argumento putabat Pilatus stringere se Jesum, quando ei dixit: *Mibi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te? Potestatem habeo dimittere te?* Joan. XIX. At tu mi Pilate, verte folium, et audi potius: Tu hunc crucifigere audes? An nescis, quia potestatem habet mittendi te in gehennam, et potestatem te salvandi? Cum Tiberius a Justino imperatore domino suo moribundo designaretur imperii successor, dixit Justino: *Si volueris, sum: si nolueris, non sum, Evagrius, libro V. cap. XIII. Nicephorus, lib. XVII. cap. IV. Idem nostrum unusquisque Deo dicat oportet: Si volueris me*

vivere et beate, vivus et beatus ero: si nolueris, non ero. Quis igitur in tali statu positus Deo reluctari audeat, plenissimam potestatem in omnes habenti? Cum Antiochus Epiphanes consideret Alexandriam, sub Romanorum tutela nunc temporis constitutam, missus ad eum a senatu est Popilius Lænas, senator Romanus qui juberet obsidionem solvere. Cui respondit Antiochus, rem hanc maturius se deliberaturum ac responsum daturum. Quid ad hoc Popilius? Virga, quam gerebat, vitrea lineam circum Antiochum duxit, inquit: *Hocne in dubium revocandum est, an hostis Romanorum esse velis? Non præteribis hanc lineam, donec id defnias.* Territus hac voce Antiochus, rex alioquin potens: *Parebo*, inquit, et ab Alexandria discessit, Plutarchus in apoth. Cogita et tu quicumque es, an Dei mandato opponere te velis, cui: *Data est omnis potestas in cælo et in terra?* Pare igitur et subditus esto potentissimo, cui omnis anima subjecta esse debet: *Sicut enim corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo*, inquit Divus Anselmus, libro VIII. de similitud. capite VIII. Tuam igitur voluntatem per omnia conforma cum voluntate Christi. Dic cum Sancto Job, cap. VI. *Hæc mihi sit consolatio, ut non contradicam sermonibus sancti: dic cum Heli sacerdote: Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat, 1. Reg. III. dic cum Juda Macchabæo: Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat, 1. Macch. III.*

Hæc videntur esse, quæ nobis Rex noster cælestis requirit, munera si non omnia, saltem potissima. Neque enim aurum vel argentum desiderat ab hominibus, qui talia ipsis donat, et pro nihilo habet; sed fidem, spem, charitatem, honorem, timorem, subjectionem. Viderint ergo illi, qui hæc ipsi subtrahunt, cum nemo non habere in promptu, et sine damno suo præstare queat. Audient enim et isti, quemadmodum et illi, qui spreverunt Saulum, filii Belial, hoc est, *caleges*, vel ut Septuaginta vertunt *filii pestilentes*, velut Chaldæus habet *filii improbitatis* et rapiuntur suo tempore ad gladium et interneconem.

Nos vero, auditores, ne his dicamus cum Jacob patriarcha: *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cætu illorum non sit gloria mea. Maledictus furor eorum, qui pertinax, et indignatio eorum, quia dura*, Genesis XLIX. Dicamus e contra Domino nostro, quod olim Hebræi Gedeoni: *Dominare nostri, quia liberasti nos*, Jud. VIII. versu XXII. quod Amasai Davidi: *Tuis sumus, et tecum filii Isai. Pax tibi, pax tibi: et pax adjutoribus tuis*, 1. Paralip. XII. versu XVIII. Ipsum denique omnibus votis et studiis amplectamur, et cum cœlitibus illis procidamus ante eum, et adoremus viventem in sæcula sæculo-

rum, et mittamus coronas nostras ante thronum ejus, dicamusque: *Dignus es Domine Deus nos- ter accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erunt, Apocalypsis IV. et iterum: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et benedictionem, etc. Apoc. VI.*

CONCIO V.

QUID AGENDUM UT CHRISTUS SIT NOBISCUM.

- I. De absentia ejus contristemur cum Magdalena. —
- II. Doceamus ignorantes, cum mulieribus tribus sanctis. —
- III. Defleamus peccata nostra cum Petro. —
- IV. Simus hospitales et liberales erga pauperes, et digne communicemus cum duobus euntibus in Emmaus. —
- V. Simus unanimes et concordēs cum decem apostolis. —
- VI. Congregemur in festivis diebus ad rem divinam ut apostoli cum Thoma. —
- VII. Bona intentione etiam temporalia curemus cum discipulis piscatoribus. —
- VIII. Magno desiderio venturum expectemus cum iisdem in monte Galilææ Christum expectantibus. —
- IX. Agamus omnia ad gloriam ejus, sicut undecim recumbentes. —
- X. Servemus Dei mandata cum euntibus in Bethaniam.

THEMA.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. XXVIII.

Incomparabile donum promisit in hodierno evangelio, et reliquit Ecclesiæ suæ Christus mox in cœlum abiturus, cum singularem ei protectionem adeoque suimet præsentiam promisit ac reliquit. Quid enim illi deesse potest, cui Deus adest? Quis illi nocere, quem Deus protegit? *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* inquit David, Ps. XXVI. Præclare etiam Sanctus Felix presbyter Nolanus, cum inter angustas duorum parietum, telæ, quam aranea ex tempore contexerat, obductu ab insidiis gentilium defensus fuisset, dixisse fertur: *Præsente Christo telæ aranæ fit murus: absente Christo murus fit aranæ telæ*, uti S. Paulinus de S. Felice episcopo Nolano scribit. Prius id deprehensum in sancto, ut dixi, Felice; posterius hoc in C. Plotio, cive Romano, qui latens in regione Salernitana, cum ne tortis quidem prius servis indagari posset, ubi lateret, solo odore deprehensus est, uti refert Aldrov. lib. V. de insectis. Hinc igitur Hebræi, cum salutaturi aliquem bene ipsi precari vellent, id solum dicebant: *Dominus tecum*, vel si plures essent obvii: *Dominus vobiscum*. Ita Booz messoribus suis salutem dicens: *Dominus vobiscum*, inquit Ruth II. et angelus Domini Gedeoni: *Dominus tecum, virorum fortissime*, Judicum VI, similiter arebas

gelus Virgini Mariæ: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, Luc. I. Jam vero quando: *Usque ad consummationem sæculi cum apostolis se manere promisit, ostendit usque ad consummationem sæculi non defuturos electos, cum quibus ipse manere dignatur*, inquit Haymo episcopus Halberstadiensis in hodierno evangelio. At quinam illi electi, hac Christi præsentia et singulari protectione dotati? Multi enim ita vivunt, ut hac Christi præsentia destitutos non immerito judicemus. Quæramus igitur, si possumus, illos, qui indicium præbent singularis illius protectionis. Venerabilis Angliæ apostolus, Beda, in homilia super hodiernum evangelium scribens conjecturas hujus Christi præsentia et paternæ protectionis colligit ab illis, quibus apparuit Christus post resurrectionem suam, decem distinctis vicibus. « Decies, inquit, visum post resurrectionem Dominum, evangeliorum nobis et actuum apostolorum prodit historia, ubi ipso resurrectionis suæ die quinquies apparuisse legitur. Primo quidem, Mariæ Magdalene flenti ad monumentum: deinde, idem Mariæ et alteri ejusdem nominis femine, regredientibus a monumento nuntiare discipulis, quæ ibi compererant, occurrens apparuit: tertio, Simoni Petro: quarto, Cleophæ et socio ejus, cum quibus ipse gradiens in Emmaus, ibidem in panis fractione cognitus est: quinto, apparuit eis januis clausis, ubi non erat Thomas: sexto, post dies octo, quando erat cum eis et Thomas: septimo, piscantibus ad mare Tiberiadis: octavo, in monte Galilææ, quod in hodierna lectione audivimus: nono, recumbentibus illis undecim: decimo, viderunt eum ipsa die non jam in terra positum, sed elevatum in aera, cœlosque petentem. Hæc ergo frequentia corporalis suæ manifestationis ostendere voluit Dominus, ut diximus, in omni loco se honorum desiderii divinitus esse præsentem. » Ita ven. Beda. Jam singula videamus.

I. Apparuit ad monumentum lugentibus: *aderit et nobis absentia ejus recordatione salubriter contristatis*, inquit idem sanctus pater. Quando parvuli vagiunt, suo illo vagitu matres ad se advocant longe potentius, quam si vocibus accerserent. Poterunt ergo lacrymæ piorum Deum quoque ad se quodammodo evocare; ipse enim per Isaiam, c. LXVI. ait: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor eos*. Confirmat Sanctus Laurentius Justinianus, in ligno vitæ, de oratione, cap. IX. *O lacryma! Vincis invincibilem*, inquit, *ligas Omnipotentem, inclinas Filium virginis, aperis cœlum, fugas diabolum*. Certe Magdalena suis lacrymis, dum fieret ad sepulcrum attraxit ad se Christum, ut se presentem sisteret, et lacrymas ejus abstergeret manifestatione sua. Quinetiam Agar ancillæ ejusque

filii Ismaelis lacrymis evocatum e cælo angelum ad eos consolandos legimus, Gen. XXI Danieli quoque cum luxisset tribus septimanis pro salute populi, apparuit angelus de cælo et solatus est eum, Dan. X. Denique, per hanc viam populus Hebræorum retraxit ad se fugientem et abalienatum a se Deum, Exodi XXXIII. Cum enim audisset sibi dicentem: *Non ascendam tecum* (in terram promissionis) *quia populus dura cervicis est. audiens populus sermonem hunc pessimum luxit: et nullus ex more indutus est cultu suo: ad indicandum luctum suum*. Quo facto præcatus est Deum Moyses: *Respice populum, gentem hanc*, statimque placatus Dominus reddidit se Israeli, et: *Facies inea præcelet te*, inquit, *d requiem dabo tibi*, h. e. ego ipse præcedam te ut mea nixus præsentia et ope securus quiescas, et ad terram promissam pervenias, ut ibi explicat Corn. a Lap.

II. « Occurrit revertentibus a monumento (mulieribus) ut agnita resurrectionis gaudia prædicarent, adierit et nobis, dum bona, quæ novimus, proximis fideliter annuntiare gaudeamus, inquit Beda, loco cit. Gratissimum Deo opus est evangelium prædicare, et quæ salutis sunt, ignorantes docere, errantes reducere et peccantes corrigere, habet tamen annexam non parvam difficultatem: itaque præsentiam et assistentiam Dei necessariam habet et meretur. Hæc enim de causa Dominus, cum in hodierno evangelio misisset ad prædicandum apostolos, dicens: *Euntes docete omnes gentes, etc.* mox addit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, quasi dicat: *Cum sicut oves*, inquit Divus Prosper, libro II. de vocat. gent. c. II. *introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, o discipuli, sed de mea potestate confidite, qui vos usque ad consummationem sæculi in hoc opere non derelinquam*. Simili promissione animarat in veter. test. Jeremiam missum ad prædicandum et arguendum improbos: *Quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum*, Jeremiæ I. Sensit etiam hanc Christi assistentiam Sanctus Rhemigijs, quando Clodovæum Franciæ regem adhuc gentilem cum aulicis christiana catechêsi imbuit. Dum enim verba salutis dare cum magna pietatis significatione exorsus est, repente lux copiosa totam replevit ecclesiam, et e luce vox intonuit: *Pax vobis, ego sum, nolite timere, manet in dilectione mea*, in vita Sancti Rhemigii, 1. octob. Lipel. Denique, hoc ipsum in veteri lege promiserat Deus sacerdotibus et principibus familiarum, qui erudierunt in lege populum ignorantem; ait enim: *Confortamini et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis*, II. Paral. XIX. versu XI.

III. Apparuit Petro lapsum suum amare deploro-